



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Prædictio Abbatis Sergij de Gregorio Duce monasterij Pharan. Capvt
CXXXIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*De Abbate Sergio anachoreta, & de monacho
gentili, qui Baptizatus est.*

C A P V T C X X X V I I I.

Narrauit autem nobis & hoc idem senex,
dicens: Cū esset Abbas Sergius, Anachoreta in Roban, postquam recesserat de
na, misit huc in monasterium monachum quē-
dam iuuenem, vt baptizaretur. Interrogantibus au-
tem nobis causam, cur nunc baptizaretur, ait no-
bis minister ipsius Abbatis Sergij: Abbas Sergius
quando ad nos venit, volens in eremo manere no-
biscū, hūc mihi instituendum tradidit. Ego autē
illum plurimū admonui, ne se huic instituto in-
sideratē, ac sine probatione addiceret. Cū autē
illum, eiusq; constantiam peruidissem, sumense-
um abij ad senem, Senex autem mox vt vidit illū,
antequam quicquam illi loquerer, ait mihi seose-
sum: Quid vult frater iste? Dixi autem ei: Orat ma-
nere nobiscum. Tunc dixit mihi: crede, frater, iste
baptizatus non est sed, adduc illum in monasteri-
um Eunchorum, & fac illum baptizati in san-
cto Iordane. Ego autem ad verba senis stupens,
interrogauī fratrem, quis esset, & vnde esset. Ille
autem ex Occidente se esse ait parentesque ha-
bere gentiles, ac nescire vtrum baptizatus esset, an
non, Tunc itaque catechisantes eum fecimus in
Iordane baptizari, permansitque in monasterio
Deo gratias agens.

*1 Vides quomodo ritus, qui ex consuetudine Ecclesie
in Baptismo adhiberi solent, etiam antiquitus obser-
uabantur.*

*Prædictio Abbatis Sergij de Gregorio Duca
monasterij Pharan.*

C A P.

CAPVT CXXXIX.

DE hoc Abbate Sergio Anachoreta narrauit nobis Abbas Sergius Armenius eius discipulus, quod plurimum sibi molestus fuerit Abbas Gregorius, qui erat dux monasterij Pharan, ut illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris mortui. Cum igitur vidisset eum senex, libentissimè salutauit, allataque aqua lauit pedes eius, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die alia dimisit eum. Postquam verò abcessit Abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, pater, quia scandalizatus sum, quod cum plurimos¹ Episcopos, Presbyteros, & alios duxerim ad te, nullus vnquam illorum pedes lauiti, nisi tantum Abbatis Gregorij: Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit Abbas Gregorius, nescio, hoc tantum scio, quia Patriarcham excepti in speluncam meam. Nam & pallium sanctum illud ferentem vidi, & Euangelium. Quod ita factum est. Post sex enim annos ipsum Abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, Patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

¹ Si plurimos Episcopos, ac Presbyteros, & alios duxit ad senem, ergo non omnes fideles sunt ex æquo Episcopi, non omnes Presbyteri, ut nunc quidam mentiuntur.

Vita eiusdem Gregorij Patriarcha Theopolitani.

CAP. CXL.

DICEBANT quidam senum de hoc Patriarcha Theopolitano Gregorio, quod his maximè¹ virtutibus fuisset insignis elemosinis scilicet, iniuriarum obliuione, & lachrymis.

Habebat